


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-127992-p0001-5

Christianus Schnoör

S. A. 4. A 34

Script. Rom. in Quarto
N. 20.

II. 26 26

# GEORGII CREBICII CROELLIANI
liberalium diſciplinarum in gymnaſio Francfordiano profeſſoris.
## FASTORVM LIBER.

## EIVSDEM.
Quattuor de Anni temporibus.
## HECATOSTICHA.

## RICHARDVS SBRVLIVS FOROIVlianus Eques: poeta & orator celeberrimus.
Ad Iuuentutem.

Quis cantat lacio Germanus tempora verſu?
Aemulus ingenij, Naſo poeta, tui?
Crebicius ſi non eſt ille Georgius? Ecquis
Hicc erit? illius carmina culta probo.
Illa velim Cirrata tibi placuiſſe Iuuentus
Inuidia pulſa perlege: grata putes.

## VIPERTVS SVEVVS FAGIVS ARTIVM Magiſter. Ad Lectorem.

Noſcere biſſenis labentē menſibus annum
  Si cupis, & ſpacijs tempora quęq; ſuis.
Interualla velis cunctorum noſſe dierum:
  Inq; ſuos, menſes diſtribuiſſe, dies.
Feſtave ſanctorum quis ſint celebranda diebus.
  Numina quo: Chriſti ſint veneranda die.
Quid ver purpureum? gracilis quid conferat ęſtas?
  Quid ferat autumnus? quid glacialis hyems?
Crebicij clarum legito ſtudioſe libellum:
  Offendes lacijs carmina ſcripta modis.

## HEXASTICHON MATHIE FVNG HA, nouienſis. Ad Lectorem.

Carmina pierio multum ſaturata liquore:
  Pellege quę cecinit Crebiciana chelis.
His digeſta patent ſpatioſa volubilis anni
  Tempora, zodiaci per vaga ſigna poli.
Feſtaq; ſolenni ritu celebranda per orbem:
  Et ſtâta numinibus ſacra litanda pijs.

GEORGIVS CREBICIVS CROELLIA/
nus philoſophię magiſter. Henrico Cobal/
tino Vlmenſi Artiũ magiſtro & medicinę
exploratori diligentiſſimo S.D.P.

EGo non temere/Humaniſſime Cobaltine/ illiberalē: minuſq; probatā exiſtimo vitā illorũ qui humana ſub ſpecie pecudũ more nihil arduũ nihil egregiũ nihilue quod ſit admirādũ tentare nec poterint nec velit. Parũ.n.inter tales & quadrupedes intereſſe puto. Quũ incertũ ſit vita ne illorũ morti/an potius mors vitę ſit pręferenda. Nam reuera/vita(vt ſapientes edocuere)vigilia eſt/ hinc tantũ viuimus quantũ vigilamus/nō aũt in ꝑnicioſiſſima corpis voluptate/quę procul a mēte eſt fuganda/nec in diuitiarũ cupiditate/quę trāquillũ beatũve viuere ꝑmittit neminē quę neq; vllis copijs ſaciari pōt. Et (quod peſſimũ eſt) iuſticiā oīm rerum moderatricē ſæpiſſime opprimit: ſed in bonarũ diſciplinarũ inquiſitione: morũ honeſtate: mētis caſtitate: in omniũ deniq; virtutũ exercitatione (quę vel omni ętati vberrimos pariũt fructus) vigilandũ eſſe cenſeo. Multa aũt & varia exercitationũ eſſe genera nemo niſi mētis inops ignorare pōt. In primis tamē ingenij meditationē animiq; culturā maximi pēdendā contenderī/quę mortalē nō ſolũ cęteris animātibus immo ipſis hominibus pręſtare facit/quod quāto pulchrius tanto erit difficilius. Proinde nō modo ſapiēter verũetiā ſalubriter maiores noſtri feciſſe videtur qui vel ſua inuenta vel aliorũ geſta litteris cōmendarũt. Nā quis Pythagorę? quis Ariſtotelis? ali



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-127992-p0005-8

orũue in oĩ arte virorũ diſciplinas intelligeret? Aut
quis p̄clara veterũ facinora ſcire poſſet? Niſi hęc oĩa
immortalitati eſſet donata hoc eſt litteris cõmẽdata
elaborataqꝫ/Illud ipſũ diligenter a teneris (vt aiũt)
vnguiculis animaduertẽs decreui veterũ ſectari veſti
gia & nõ ſolũ quę ab illis ipſis inuenta ſunt & poſte/
ritati relicta pdiſcendo/ verũetiã aliquid/quod lau/
dandũ ſit excogitando/& ita meũ ingeniũ vigilijs lu
cubrationibuſqꝫ pluribus horis exercẽdũ cõſtitui/vt
deteſtanda otij vitia honeſto labore excuterẽtur ani
miqꝫ virtutes illuſtrarẽtur/Luſimus igit̃/optime Co
baltine/prioribus annis iuuenilia quędã carmina ex
quibus vt aliqua in lucẽ darẽ/tuis ductus ſũ admoni
tionibus/nõ .n.tibi iuſta petenti nõ morẽgerere po/
tui/pręcipue tamen quattuor Hecatoſticha de anni
tẽporibus in tenera ætate cõſcripta ędere volui & ti/
bi/quẽ vnice diligo & amo/dicare: cũ ꝓpter ſingula/
res animi tui ꝟtutes: tũ quia medicus es/ & diligẽter
rationẽ habeas tẽporis quod (vt Terẽtianus inq̄t Sy
rus) rerũ oĩm potiſſimũ eſt. Tñ vt etiã huius ætatis
mearũ exercitationũ gña cognoſceres/pſuaſi mihi vt
libellũ meũ (Cui faſtoꝝ titulus eſt) p̄ponerẽ/in quo
annũ: ſigna cœleſtia: mẽſes: feſta & q̄ſdã ĩ anni tẽpo/
ribus obſeruatiões/vt q̄ breuiſſie fieri potuit/depixi/
mus/ quẽ tibi noĩatim dedico & te ĩ patronũ deligo
vt ſaluus ab oĩ liuidulorũ morſu ĩ publicũ ꝓdire que
at/in quo & ſi nõ oĩbus ſatiſfeciſſe videar/nã (cũ ſuus
cuiqꝫ ſit guſtus) difficillimũ ẽ oĩbus poſſe placere/tñ
quia ſcio me nõ ĩgratã tibi feciſſe rẽ huiuſmodi exer
citatiõis munus tuo nõi dicaſſe & ĩ vtilitatẽ ſtudioſe
iuuentutis ædidiſſe/libẽtius hãc prouinciam ſubiui.

Erunt aūt fortaſſis aliqui/ qui me carmina ſcribere/ nō meę ꝓfeſſionis putent (cū plus in philoſophicis diſciplinis & ſacris litteris q̄ ſtudijs poeticis animū meū intēdere cōſueueri) illos velī paucis eſſe admonitos ne nimiū ſapiāt (ſi modo id ſapere eſt) vt nocēdi cupiditate aduerſū me canū more latrare p̄ſumāt/ & tñ nulli egregio certamini ſe cōmittere audent. Et forſitā credūt ingenuarꝫ & humanarꝫ artiū ſtudia eē ſeiūcta/ q̄ tñ vt M. T. C. (platonis auctoritate) affirmat vno ſocietatis vīculo cōtineri. Errāt illi/ hercule q̄maxiē. Sed ne in volumē nr̄a creſcat epiſtola/ ad te iucundiſſie Cobaltine redeo/ illos qdē ſciolos/ q nec digni ſūt de qbus ỽba fiāt/ nihili pēdo/ pluris. n. facio iudiciū vnius docti q̄ mille impitorū īanes cauillatiōes vl' etiā laudatiōes. Quare tibi meos labores cōmitto & dedo quos ſi tuo conprobaueris iuditio/ haud me litt⁹ araſſe mihi pſuadebo Vale. Et ille qui hacten⁹ ī me fuiſti ppetuo mane. Ex Frācfordio ad oderā Anno chriſtiano M.D.xv. Septīo K'las aplis

## IDEM AD ENVDEM.

En dono tenerum tibi libellum
Noſtris eſt ſtudijs modo politus
Faſtorum titulus decet nitentem
Qui monſtrat lacium pudicus annum
Menſes verſiculis ſuis docebit
Nec feſtos numeris dies tacebit
Promptus Zodiaci dabitq; ſigna
Anni commemorat lepore parteis
Hunc Henrice meum precor libellum
Serua/ tu medicæ decus cateruæ.

## AD EVNDEM VIPERTVS SVE/uus fagius artium magiſter.

Doctorum celebrat cohors frequenter
Te Sueuum merito: bonis placere
Nam dicunt placidum virum ſolere:
Qualem te referunt patres ſacrati:
Dicunt & iuuenes. Poeta & Heſſus:
Affirmat pariter benignus ille
Vulgaris minime. poeta Viuax:
Hunc iunxit: ſtudij: tibi ſodalem:
Maieſtas celebris: probata doctis.
Te nouit placidum tuus Vipertus
Sueuus: namq; ſolent pares coire.
Infandos refugis/bonos amare
Non ceſſas/ſtudijs probis nitere
Optas/egregie ſtudes in horas
Artes & medicas: Apollo pulcer
(Miror) te docuit breui: ſacratas.
Donat. Crebicius Georgius: te
Hoc Henrice ſuo: pius: libello
Quo curſum memorat fugacis anni:
Menſes cumq; ſuis diebus addit:
Non eſt hic precibus/Tagi ue donis
Pellectus. ſed amans amore vero.

# GEORGII CREBICII CROELLIANI
## bonarū artiū ac philoſophię magiſtri.
## FASTORVM LIBER.

TEmpora cū ſignis lacij/cœleſtibus/anni
Quiſq; ſit impoſitus/mēſibus ordo/canā.
Quo mihi pręſentes tribuāt pia numina vires:
Inuoco cœlicolas/in mea vota/deos.
Enthea diuino veniant mea carmina flatu:
Inſtruat & tenuem/ Chriſtus Apollo/lyrā.
Phœbus adeſt cytharā nobis promiſit eburnā/
Adſunt pierij/numina caſta/chori:
Caſtalides nimphę iam iā mea labra mouebūt/
Carmine ſic noſtro temporis ordo patet.
Principium capiūt & phœbus & annus eodem Sol.
Tempore/ſic illis terminus vnus erit. Annus.
Annus habet vero biſſenos ordine menſes: Menſes.
Sydera vel totidem ſignifer orbis habet. Zodiaci ſigna.
Ianus adeſt veterē primus qui terminat annum IANVARIVS.
Bifrons: atq; nouos inchoat ille dies.
Cum volat hyberno lāpas phœbęa ſub hirco: Capricornus.
Qui poterat ſummū fronte mouere Iouē.

Tu Capricorne nouũ mortalibus incipis annũ:
Nubibus in medijs cum tua cauda nitet.
Circũciſio. Tunc deus antiquo ponit pręputia ritu
Aeditus/humanę viſcera carnis habens.
Hoc erit Auſonias cũ clauiger ipſe Calendas
Vendicat/hinc baculo nos regit ille ſuo.
Quartus vt ignifero renouatur lucifer orbe:
Epiphania. Proxima lux multo thure litanda venit:
Quando magi regeſqꝫ adeũt cunabula Chriſti:
Et flexis genibus indica dona ferunt.
Suſcitat in terris iteratos lucifer ortus
Clarus/& æthereo fulget vbiqꝫ polo.
Bis ſex emenſis/Iano properante/diebus
Occidit ægoceros frigore cuncta premens.
Aquarius. Et ſol hydrochoũ tangit Iouis alite raptum:
Qui tener hymbriferas fũdit & auget aq̃s.
Conuerſio Pauli. Poſt aderũt populo ſancti ſolennia Pauli:
Cum fuit a ſummo raptus ad aſtra deo.
☞ Tũc iuuat iſtructas epulis abſumere mẽſas:
Et ſiccare boni pocula pauca Meri.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-127992-p0010-5

Menſis erit primi finis ſic vltima Iani:

Qui ſua terga videns/regia ſceptra tenet.

Februus hic ſequit̃ Romana piamina mõſtrãs: FEBRVARIVS.

Quẽ purgare putant crimẽ & omne nefas.

Phœbus adhuc iuuenẽ cui dãt ſua noĩa lymphę id eſt aquariũ.

Occupat: Alpinas ſpargit hyemſq; niues.

Poſtera lux oritur totũ celebranda per æuum: Purificatio Marię.

Virgo parens ſobolẽ ſub ſacra tẽpla gerit.

Hanc decorate diem/faculas accendite lõgas:

Ponite ſacratis/maſcula thura/focis.

Inde ſubit titan geminos(duo ſydera)piſces: Piſces ſig:

Aureus ad vernos ſcandit & ille dies.

Piſces marmoreo capientur in æquore ponti:

Nec deerit tacitis/copia magna/vadis.

Cũ Cathedrã Petrus dabit/& ſua feſta Mathias: Cathedra Petri.

Frigoribus brumã/terminat aura/grauẽ. Mathias.

Martius hinc aderit duri qui nomina Martis MARTIVS.

Duxit ab euentu/Martia Roma/tuo.

Tertius a nobis numeratur in ordine menſis:

Quondam Romanis hic quoq; p̃mus erat.

**Ver.** Veris vt aduentum cantu pronunciat ales:
Et reparant vires mollia prata ſuas.

Gregorius. Diuus Romuleę rector Gregorius vrbis:
Dignus perpetuo pręſul honore nitet.

Aries. Tunc capitis princeps aurato vellere/cœlo
Fulget: & ætherei ſydera ſolis habet.

Aeqnoctiũ Vernale. Aequat inęquales lucis cum noctibus horas:
Conueniunt methis noxq; dieſq; ſuis.

Annuncia/tio Marię. Aliger optatam Marię/mandata/ſalutem
Mira gerens: ſummum nunciat ore deum.

Induat ornatas Tyrio bis murice tinctas
Veſtes: qui Marię vult celebraſſe diem.

Bis tribus exactis/poſt hæc perfecta/diebus:
Vltima pręteriti tempora martis erunt.

APRILIS Aprilem numero quartũ nunc ordine menſem:
Ille reſoluit humum ver aperitq; ſuum.

Ver erit hymbriferũ/tepidis noua tẽpa ventis
Pandit/odorato creſcit & herba ſolo.

Vndiq; primęuis adoleſcit frondibus arbos:
Vndiq; veſtitur gramine terra nouo.

Et volucres dulci demulcent aera cantu:
In pratis mutum luxuriatqꝫ pecus.
Tunc rudis inflexo tellus renouatur aratro:
Vernat humus: vitis palmite lenta tumet.
Creſcentem Zephyris aperitqꝫ tepētibus annū — Taurus.
Taurus ſydereus, noſtraqꝫ colla regit.
Ingredit̄ placidus ſolymorū mœnia Chriſtus: — Palmarum dies.
Occurrunt pueri: Rex benedicte canunt.
Gens Iudęa ſuos crudelis mente furores — Paſſio xp̄i.
Euomit: in Chriſtum (res miſerāda) deum.
Dilacerat grauibus, ſanctiſſīa mēbra, flagellis:
Trudit & ad triſtem, te pie Chriſte necem.
Poſt gemitꝰ: colaphos: durā, & pꝰ vulnera, mortē
Tertius vt ſolis fauſtiter ortus adeſt. — Chriſti Reſurectio.
Proſpera lux aderit nobis latura ſalutem:
Surgis vbi e tumulo Chriſte redisqꝫ tuo.
Inde canendus eris Georgi maxime miles: — Georgius.
Qui vis me famulum nomen habere tuum.

MAIVS.

Maius ab antiquis maiorum nomine dictus:
Si bene contuleris ordine quintus erit.

**Philippus & Iacobus.** Tunc Iacobus apoſtolici minor ille ſenatus
Spes mea/ſolamen/pręſidiumq; venit.

**Inuentio Crucis.** Crux veneranda pij (nobis defenſio) chriſti:
Poſt aderit dignis condecoranda ſonis.

**Gemini.** Sol geminos iuuenes manifeſto lumine tangit:
Et fert maiores q̃ tulit ante dies.

Progenies duplex moderatur brachia noſtra:
Et regit imperio pectora cuncta ſuo.

☞ Omnia ſydereis quia ſũt obnoxia ſignis/
Nos ſumus in dubia voluimur atq; rota.

Ver breue purpureos tribuit modo lilia/flores:
Frondes/& violas/gramina lęta/roſas.

Ver dedit vmbriferã viridãte ſub arbore ſedẽ:
Vere ſoporiferũ contulit herba thorũ.

☞ Ver fugit ĩmodicas ꝓhibet cũ nectare mẽſas
Vere iuuat miſto/ſobria limpha/mero.

**Aeſtas.** Puluerulenta redit cupidis meſſoribus æſtas:
Flaua Ceres illo tempore regna tenes.

**Aſcẽſio domini.** Septima pręterijt ſpectabilis ogdoas/orbe:
Chriſtus vbi ſanctos morte redemit auos.

Tranſijt ad ſuperos ſuperato belliger orco,
Spiritus inde venit miſſus ab orbe deus. Pēthecoſte.
Trinus & vnus item iuſto veneratur ab omni Trinitas.
Semper,& eſt feſtus menſe ſequente dies.
Menſis enim ſequitur Iunonius ordine ſextus: IVNIVS.
Qui prius a iuuenum nomine quartus erat.
Phœbus vt octipedem candenti ſydere cancrū Cancer.
Tangit,& ardenti cuncta calore premit.
Torrida ſolſtitio ſiciunt tūc arua reuerſo: Solſtitium æſtiuale.
Tempus id æſtatis ſpicea ſerta gerit.
Tēpus id agricolas optat pecorūq; magiſtros:
Fœniſecas:nautas:frugiferamq; deam.
Carpit apis tenuis redolentem floribus Eſcam:
Gramina ſunt toruę pabula grata boui.
Diuus Ioannes mirandos agnifer ortus Ioannes baptiſta.
Accipit, ætherei nuntius ille dei.
Clauditur & rapido Cerealis Iunius æſtu:
Cauſas ob varias qui modo nomen habet.
Illico Iulęas cernes rediſſe Calendas: IVLIVS.
Et dare fœcundos ſole calente dies:

Iulius eximios tribuit tibi cæſar honores:
Hunc tibi natalem credo dediſſe diem:
Septimus hic merito nũerat̃ ab ordine mẽſis:
Quintilem veteres quem voluere patres.
Voluitur extrema titan teſtudine cancri:
Hic laterum curas imperiumq; tenet.
Viſitatio Marię — Feſta dies aderit/virgo montana requiris
Ardua/diuina prole futura parens.
Poſt venit exacto ſpacio bis quinq; dierũ:
Margareta: — Margarita hominum cœlicolumq; decus.
Henricus. — Luce ſequente pios Henrice mereris honores:
Cæſar qui fueras cæſar & vſq; manes.
Leo. — Inde molorcheũ phœbo redeunte ſub aſtrũ:
☞ Conueniunt lauto pocula larga cibo.
Canicula. — Hic triſtes generat maleſana canicula morbos:
☞ Syrius æſtatis duplicat igne dies.
Emittit rabiem ſpargens per rura venenum:
Seminat in totum mille pericla ſolum.
Iacobus. — Mox Iacobus item titulo non corpore maior:
Optat honorandam non ſine thure diem.

Candidus æquoreis curru ſol exit ab vndis:
Læta dies roſea luce micante venit.
Diua parens Marię matris celeberrima matrũ: Anna.
Anna: tuos cupimus condecorare focos.
Quattuor exactis, vnum tamen adde, diebus:
Iulius extręmum quęrit habetqꝫ locum.
Proximus Auguſto debetur menſis & ordo: AVGVSTVS.
Si fuerint recto cuncta locanda modo.
Hicc octauus erit longum mãſurus in æuum:
Sextus ab antiquis hic tamen ante fuit.
Cæſar ob illuſtres pręclaraqꝫ geſta triumphos:
Hic tua Romanus nomina menſis habet.
Clauiger ætherei Petrus, ſua vincula regni Vincula Petri.
Protulit æſtatis continuatqꝫ dies.
Nona luce ſacras frondes Laurentius optat: Laurentius
Cum fugit herculeus terribiliſqꝫ leo.
Virgo petis ſuperos & olympica regna reqris: Aſſumptio Marię.
Sancta parens ſummi, nõ dubitanda, dei.
Virgine ſyderea, ſitibunda reducitur æſtas:
Dona ferẽs Cereris arboreũqꝫ decus. Virgo.

| | |
|---|---|
| Bartholo-meus. | Bartholomęe tuas votis decorabimus aras: |
| | Cum tumet intonſi vitis honuſta dei. |
| | Cumqꝫ canis ſubiet ſiciens ad gurgitis vndas: |
| | Feruidus æſtatis cęſſat vbiqꝫ calor. |
| SEPTEM-BER. | Mox ſeptēber adeſt retinēs ſua nomina mēſis: |
| | Hic quia poſt martem ſeptimus ante fuit. |
| | Attamen vt recte menſes numeraueris omnes: |
| | Hic merito nobis ordine nonus erit. |
| Natiuitas Marię. | Aeditur illuſtri regum de ſtemmate pura |
| | Virgo:nihil veteris crimine labis habens. |
| Exaltatio Crucis. | Poſtea bis terno titan renouabitur ortu: |
| | Tollitur vnanimi crux veneranda prece. |
| Libra. | Interea trutinę ſpeciem lux maxima phœbi |
| | Illuſtrat,rapidis acceleratqꝫ rotis. |
| Aeqnoctiū autumnale. | Lampade ſol paribus lucem cū noctibus horis |
| Autum-nus. | Penſitat,Autumnum principiatqꝫ nouum. |
| | ☞ Autumnus cupiet plenis conuiuia menſis: |
| | Pocula tunc pauco ſunt meliora mero. |
| Matthęus. | Hinc Matthęe tuis libamina ponimus aris: |
| | Et canimus ſacras cum pietate preces. |

Nec tibi p⁹ volum⁹ memorare minora Michael: Michael.
Lucifer octauus cum tua feſta dabit.
Poſt ea doctorum verax Hieronyme doctor: Hieronym⁹
Luce tua menſis terminus huius erit.
Arbitrio veterum conſueta vocabula ſeruat
October/menſis Domiciane tuus. OCTO/BER.
Palmite maturas vitis tunc parturit vuas:
Et tribues liquidum bacche comoſe merũ.
Vinifer autumnus/ſpumantia dona/liquores
Colligit: in plenos dulcia muſta lacus.
Læticię patrem decorant hæc tempora bacchũ:
Vnanimes cupimus munus Iacche tuum.
Scorpio tabificum violenta cuſpide virus Scorpius.
Egerit/intorta ſit metuendus acu.
Cũ ſua ſol radijs illuminat aſtra ſerenis:
Et breuiat claros longior vmbra dies.
Inde Symonis erunt pariter ſolennia Iudę: Symõ & Iudas.
Hæc non ſunt tacitis pretereunda modis.
Tertia cũ veniet croceo velamine lampas:
October finem credimus eſſe tuũ.

Feſſa nouum, capiet de lumine Cynthia, cornu:

NOVEMBER. Frigora cū pluuijs prima Nouēber habes.

Oēs ſancti. Maxima cœlicolum rediet tunc turba deorum:

A nobis precibus ſæpe vocanda pijs.

Martinus. Gemma ſacerdotū miſeros Martine miniſtros

Reſpice, nā canimus per tua tēpla preces.

Aureus autumnum metitur ſydere titan:

Sagittarius Atq; ſagittiferi trāſit ad aſtra ſenis.

Pręſentatio Marię. Sacra Ginœcęi ſubiet penetralia virgo:

Innocuo, ſoli dedita, corde deo.

Tūc ſilet omnis ager, curuus requieſcit arator:

Et gelidus boreas ſpargit vbiq; niues.

Catharina. Te veneramur itē precibus Catharina prōnā:

Dirige nos famulos virgo pudica tuos.

Cum ſol ſemiferi properat Chironis ab arcu:

Andreas. Tunc tuus Andręa fulget vbiq; dies.

Proxima lux roſeo phœbi conſurgit amictu:

Depellens tenebras clara reditq; dies.

DECEMBER. Horridus arboreos ſpoliatq; Decēber honores

**Hyems** Cum genialis hyems igne leuandus erit.

Igne leuatur hyems tepido tolerabilis æſtu:
Frigora cũ modico iuncta calore placent.
Te Nicolae pater colimus digniſſime pręſul: Nicolaus.
Ponimus atq; tuis, thura ſabęa, focis.
Alter ab æquoreis conſurgit lucifer vndis: Conceptio Marię.
Conciperis placidi mater amata dei.
Phœbus in hybernum glaciali limine caprum Cap̄cornus
Deproperat, celeres deſtituitq; dies.
Principiatq; nouo titan ſua tempora curſu:
Aethereo radians mobilis ille polo.
☞ Tradit̃ hæc eteni cũctis, lex publica, rebus:
Vt capiant varias pernicitate vices.
Sãctus apoſtolico nõ infimus ordine Thomas: Thomas.
Vocibus aſſiduis cõmemorandus erit.
Cum capricornus agens phœbeo lumine noctẽ
Hybernã, ſudos auget & inde dies.
Virgo virgineo ſobolem ſine coniuge partu Natiuitas Chriſti.
Aedit, & hæc pariens intemerata manet.
Sancta ſalutiferi celebret natalia chriſti:
Quiſquis in hoc populo numina vera colit.

Illa dies etenim noſtrę primordia vitæ

Tradidit,& placidę pacis origo fuit.

Stephanus — Collaudant Stephanū pueri.iuueneſcꝫ ſeneſcꝫ.

Ioānes euāgeliſta. — Nullus Ioannis feſta tacere queat.

Innocentes pueri. — Innocui mœſtas pueri truncantur ad aras:

Tertia lux annum finiet inde ſuum.

Nunc deus optatum tribuit mihi carmine finē.

☞ Quodlibet exacto fine ꝓbatur opus:

Fine probatur opus:finis ſuprema laborum

Cura:graues animos allicietꝫ leues.

Carminibus noſtris totum deſcripſimus annū:

Quas quoꝫ per parteis ille ſecandus erit.

Sydereis ſignis,menſes coniunximus omnes:

Et cecini feſtos,annua ſacra,dies.

Gratia ſit ſummo ſemper referenda tonanti:

Maximus in terris qui regit atꝫ polis.

Omnibus & ſuperis debetur gloria diuis:

Nanꝫ fauent ſtudijs,cū pietate,meis.

TELOS.

SEQVVNTVR QVATTVOR HECA toſticha de anni temporibus.

# Hecatoſtichon primū de vere.

Aurea iam redeunt meliori tempora curſu:
Surgit & in vires/terra benigna/nouas.
Omnia nunc lato florent violaria mundo:
Et viret in madidis/herba ſalubris/agris.
Iā placidis noſtrā Zephyris moderātibus orā
Mittit odoriferas hortus vbiqꝫ roſas.
Omnia læticiam viridantia gramina monſtrāt:
Plaudit & arboribus iā nemus omne ſuis.
Germinat īnūeris Platanus Coriluſqꝫ figuris:
Arbor & inuentis Pallas amata tuis. id eſt oliua
Frōdeſcit Quercus/Taxus/ſteriliſqꝫ Cupreſſus
Atqꝫ micat varijs/Laurus amœna comis.
Semina diffuſis ſegetum naſcuntur in aruis:
Quę parient magnas fertilitatis opes.
Vites conſpicimus producere palmite gēmas:
Quę tribuunt vuas dulcis Iacche tuas.
Gutture mirificos reddit reſonante ſuſurros:
Pulchra canens dulci iam philomela ſono. Philomela.

Pſittacus. Pſittacus humanam tentat modulamine vocem
Promere, ſic omnes exuperabit aues.
Concinit in ſpatio cantu Turdella diurno:
Piſitat & varijs Sturnus in ore modis.
Nec Merulus tacitum gaudēs ſinit eſſe palatū:
Et canit in praſino carmen Achantis agro.
Hic Turdus trutilat, plaudit quoqꝫ Regulꝰ oīs:
Et Frigilla canens gaudia voce probat.
Exultant Aquilę, modulantur carmina Cygni.
Accipiter, Miluus, Niſus, & Anſer ouant.
Quadrupedūqꝫ genus renouata pelle ſuperbit:
Cernens antiquos depoſuiſſe pilos.
Hinc etiā gaudent animoſi corde Leones:
Triſtitiam ſpernunt lætitiamqꝫ probant.
Vrſus, Lix, Pardꝰ, fallax Vulpecula, Ceruus:
Tigris, & īdomitus Barrhus, Aperqꝫ lupus.
Corniger Hircus, Orix, Aries, auritus Aſellus:
Incipiunt animos iam reparare ſuos.
Omnis & æquoreis fluitās nūc piſcis in vndis:
Induitur ſquammis vere fauente nouis.

Et bona pars hominū miſeris agitata procellis:
Lęta refert multis viribus aucta nouis.
Pectora diuini properant venerāda poetæ: Poetæ.
Caſtalij riguas ſumere fontis aquas.
Digna virū memorāt ſublimi facta Cothurno:
Vel recitant elegos Naſo poeta tuos.
Hinc pariunt celebri manſuram carmine famā:
☞ Non cadit exactū munere vatis opus.
Colligit hinc etiam ſtudioſa caterua ſophorū: Philoſophꝰ
Omnia credibili cum ratione probans. Sermotio-nalis.
Quid faciat gelidā aut tepidā qd colligat aurā? Naturalis.
Quid tenebras tribuat? qd quoq; lumē alit?
Quidue iuuant terris alta de nube cadentes?
Hymbres & pluuię cur generantur aquę?
Terra quid efficiat ve liquor qd vētus & ignis?
Suppeditant rebus corporibuſq; ſuis.
Inclyta quid ſit vel quāto diſcrimine virtus? Moralis.
A vitio diſtet quid vel honeſta poteſt?
Cur cum diuitijs merito ſpernatur auarus?
Fulget & ĩ coī largus honore loco?

Aut cur conſpicuum virtute meretur honorem?

Iuſtus. Iuſtus perpetuos viuat & ipſe dies?

Iniuſtus. At contra iniuſtus miſera ambitione ligatus:

Fallaxq; in tenebris improbitate iacet.

Inuidus & mendax. Inuidus & mendax recta ratione relicta:

Sæpe ſolent animi vera tacere ſui.

Lex & amicitię quicquid ſibi poſcat amore?

Quid vel amor patrij poſcit vbiq; ſoli?

Quiſquis & ante ſuos cineres ſit iure beatus?

Aut quis virtutis poſſidet omne decus?

Aſtrologus Cęlſaq; cur celeri rapiantur ſydera motu?

Quidue dabunt nitidi ſingula ſigna poli?

Vnde vel æthercam contingat hebeſcere lunã?

Quę ſolito interdum lumine fuſca caret.

Cur etiam phœbus radijs elementa ſerenis?

Deſtituatq; diem pellere nocte ſinat?

Qualiter in noſtras veniant violentia terras?

Fulmina, & ardentes innumerę q; faces.

Quas mundi in terris habitant animãtia ptes?

Namq; due nimio frigore cuncta premunt.

Tradunt & mediam phœbiq; calore peruſtam:
Quam fugiunt homines incoluiſſe plagam.
Vnde vel eueniant cunctis primordia rebus? Theologus
Vnde ſimul noſtrę mentis origo ſubit?
Quiſq; ſit excelſi moderator & auctor olympi?
Qui regit immenſi cuucta creata ſoli?
Quæ puero aut iuueni?vel quę ſenioribus annis Medicus.
Conueniant?nimium quęq; nocere ſolent?
Tempore ſic veris rerum renouantur honores:
Cunctaq; preteritis ſunt meliora modis.
Omnia viuificant validę ſua corpora vires:
Et releuant varijs languida membra bonis.
Singula conſimili gaudent animalia fronte:
Inueniunt ſocios conciliantq; ſuos.
Quę natura regit/nulloq; docente magiſtro:
Dulce ſciunt veneris ac operantur opus.
Nam taurus niueam ſequitur placatq; iuuencā:
Atq; aries timidas concomitatur oues.
Sic molles paribus iunguntur amore columbę:
Pulchraq; nūc ſiles ꝑcreat atthis aues. id eſt luſtiuia.

Eſt igitur merito nunc formoſiſſimus annus:
Temperat & cunctum mitior aura ſolum.

## Hecatoſtichon de aeſtate.

Ecce ſuum radijs decorat fulgentibus orbem:
Et geminis pueris lux phetontis abit.
Cancer. Et mox littorei ſequitur veſtigia Cancri:
Cunctaq; phœbeis ignibus inde premit.
Leo. Terribilis ſubito vultum ſpeciemq; leonis
Aſpicit: & claro lumine cuncta replet.
Virgo. Virginis æthereę pulchram ſine crimīe formā:
Inde petit radijs ſtella ſerena ſuis.
Emicat ignifero nitidus velamine phœbus:
Omnia ſic luſtrat ſicq; calore notat.
Hinc etiam celeres decreſcūt fluctibus amnes:
Ignibus & liquide comminuuntur aquę.
Haurit ab effœto rores ſol ignibus agro:
Cuncta vel in noſtro temperat orbe fauēs.
Nox abit exoriturq; dies nitidiſſima cœlo:
Almaq; lux tenebras vix ſinit eſſe breues.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-127992-p0028-7

Feruida nunc æſtas cultiſſima frugibus arua
Ornat: & in multis fert ſua dona locis.
Cāpus odoratis/tepefactus in ignibus/herbis
Aeſtuat/ & cereris munera larga gerit.
Vndiq; flaua ceres meſſeis diffundit opimas:
Sicq; leues ſtipulas ſpicea meſſis habet.
Terra ferax certis æſtiuo tempore donis
Obtegitur/vario picta colore nitens.
Eſt quia pingue ſolū frumēta miniſtrat ariſtis:
Atq; parat fructus fertilitate ſuos.
Fertilis hinc tellus matura legumina pręſtat:
Vndiq; fert placidū munera grata ſolum.
Frōde nemus viridi veſtitur/fructibus hortus
Plenus/adoptiuis meſſibus arua virent.
Lęta ſeges coquitur rapidis ſub ſolibus ardēs:
Aeſtuat hirſutis arbor honuſta comis.
Naſcuntur volucri perfuſa papauera ſomno:
Nunc ſcio triticeę multiplicantur opes.
Multiplicantur opes creſcūt cū fœnore meſſes:
Et genus humani creſcit abunde cibi.

Stipite fœcundat pingues oleaſter oliuas:
Et Ceraſus fœtus procreat vſq; ſuos.
Syluicolę viridi veſcuntur fronde capellę:
Et cytiſo graciles nũc ſaturantur apes.
Paſtor oues timidas in gramine paſcit agreſtis
Colligit & lactis plurima dona noui.
Cum modo depoſito meſſeis miratur aratro:
Ruſticus in medio gaudia ſentit agro.
Sors tamẽ agricolas dubijs moderat̃ habenis:
☞ Blandula ſpes cupidũ ſæpe fefellit herũ.
Turbine ventorũ fragiles violentia meſſes:
Forſitan ante ſuos perdet iniqua dies.
Aut venit immenſum nymborũ flumen aquaꝝ:
Et ſata fluminibus diluit inde ſuis.
Aut calor immodicus grauidas cõſumit ariſtas:
Frigora vel ſeges impediere nouas.
Turbida vel ſubeunt violento fulmina motu:
Deijciunt fruges impediuntue bonas.
Forſitan in campum veniens inimicus apertũ:
Meſſibus & plenum depopulatur agrum.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-127992-p0030-6

Forte capillatũ (duriſſima fata) Comœtam:
Indicat æthereus (corde timenda) polus.
Lucida vel ſummo generantur fulgura cœlo/
Aut venit ex ſuperis horrida grando locis.
Omne quod in vaſto fuerit variabitur orbe:
Sors tenet inſtabilẽ ſemper agitqꝫ rotã.
Non tamen agricolę dubitãt impenderẽ curas:
Atqꝫ labore ſuos continuare dies.
Exercent etenim varios ſua corpora in vſus:
Vt poterint triſtem ſic ſuperare famem.
Semper difficilem victum ſine crimine quęrũt:
Et cupiunt ſtudijs inuigilare bonis.
Ruſtica gens fœlix nec eni fœlitior vlla eſt: Ruſtica gẽs
Quę poterit vicijs iure carere malis.
Diuitias cumulat multo ſudore probatas:
Sic potuit vitę conſuluiſſe ſuę.
Iam reſecat ſegetes curua ſub falce colonus:
Frugibus inde nouis horrea plena locat.
Horrea plena locat grauidis ſtipatus ariſtis:
Primitias Cereris ſub ſua templa vehit.

Illa ſolet vigilans omni renouare ſub anno
Ruſticus/aſſiduum corpore verſat opus.
Agricola. Dicitur hinc merito vera virtute beatus:
Agricola/egregius ſimplicitatis honos.
Hinc etiam veteres celebri conamine reges:
Nec minus illuſtres/rus coluere/duces.
Vt ſic Chaoniam frumentis pellere grandem
Poſſent: & triſtem farre fugare famem.
Non pudet interdum regem tenuiſſe bidentẽ:
Aut ſtimulo pigros increpuiſſe boues.
Hinc ſua colla iugo validus ſubmittere taurus
Cogitur/& durus findere vomer agrum.
Florida quo tribuant ſegetes & pabula rura:
Placantur precibus Bacchus & alma Ceres.
Vt dent fœcundis indefitientia menſis
Horrea/ponuntur plurima thura focis.
Inde ſatis largus cœlo demittitur hymber:
Exurgunt gratę fertilitatis opes.
Atq; nitent flaui ditantes ordine ſulci:
Et pariunt fructus vtilitate ſuos.

Sic matura Seges medio ſuccíditur æſtu: Seges.

Qua ſine deficiet vita: ſaluſq;: labor.

Eſt igitur feruens æſtas pars gratior anni:

Optima nam cunctis fert alimenta viris.

## Hecatoſtichon de autumno.

Inchoat Autumnũ ſpecioſo ſydere libra: Libra.

Lance pari trutinans dimidianſq; diem.

Scorpius hinc ſequit̃ metuẽdus acumine caudę Scorpius.

Peſtifer/& minitans nigra venena gerens.

Armatuſq; venit mirando corpore Chiron. Sagittarius

Semiuir arcupotens tela triſulca ferens.

Tertia ſic ſubito celeris pars labitur anni:

☞ Nulla diu fugiens tẽporis hora manet.

☞ Temporibus mũdi res eſt variabilis omnis:

Nulla poteſt ſtabilis rebus ineſſe fides.

Omnia pręcipiti dubia quoq; ſorte feruntur: Sors.

Sors regit incertis lubrica cuncta rotis.

Singula mutantur varijs mundana figuris:

Illico nam pereunt cunctaq; mortis erunt.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-127992-p0033-3

Hic vbi fluctiſecas quondã tulit vnda carinas:
Iam licet in medio cernere ſicca loco.
Hic vbi vel ſyluę vel mons vel plana fuere:
Iam licet exiguo pandere vela noto.
Hic vbi marmoreę fuerant fœliciter vrbes:
Iam ſunt ſyluicolis paſcua lęta feris.
Hic vbi nũc hoĩes habitãt & tẽpla frequẽtant:
Terra hæc indomitos nutrtjt ante lupos.
Hic vbi Roma caput magni memorabile mũdi
Nnnc eſt/deſpectus hic locus ante fuit.
Hic vbi (tecta fatigatis ſuperata pelaſgis)
Troia olim fuerat/iam niſi prata patent.
Oedipodionię nihil eſt vrbs inclyta Thebę.
Carthago/clara cum babilone iacet.
Singula quid referam latum mutata per orbẽ:
Quum ſint exemplis omnia nota ſuis.
Tempus. Omnia tempus edax longis variare ſub annis
Aſſolet/& ſubitis carpere lęta modis.
Taliter extremas properans autũnus in horas
Vertitur/& modico terra calore tepet.

Pomifer autumnus maturos arbore fructus
   Partutit/optatas dat quoq; vitis opes.
Carpit pampineas laudatus vinitor vuas:
   Inde fluunt pleno dulcia muſta lacu.
Dulcia muſta graues poterint depellere curas Muſtum.
   Ac hilares animos reddere muſta queūt:
Gracia multa tibi totnm victura per ęuum:
   Qui primus tanti Muneris auctor eras
Siue Dioniſius curua vel imagine falce Inuentor vi ni.
   Saturnus fueras/ſi vel Oſyris eras:
Seu fueras doctis primus Eumolphus athenis:
   Siue (quod & potius) gloria prima Noe.
Qui primus teneras palis coniungere vites
   Monſtras/pampineas hinc reſecare comas
Tradis & humanis pedibus calcare racemos:
   Vt tribuant largo/pocula plena/ mero
Quare te merito laudant/iuueneſq; ſeneſq;:
   Tollitur & toto nomen in orbe tuum:
Te canit agricola & vates tua dona ſalutant:
   Te celebrant reges cum populiſq; duces.

Nam ſine tam grato ſuccreſcunt munere curę:
Quo tamen inuento gaudia ſemper erunt:
Multa viris requies dabit quoq₃ mlta voluptas
Delitię: veneres cum ſalibuſq₃ ioci.

Vua.

Vua ſalutiferos prębet ſuperatq₃ liquores:
Et iuuat in vires lętitiamq₃ mouet

Iuditiū anacharſis de vino.

Vt tribuit ſapiens Anacharſis dogmate nobis:
Treis vuas gracilis lentaq₃ vitis habet:
Prima ſitim ſuperat: riſus generatq₃ ſecunda:
Tertia ſed potis vua furoris erit:
☞ Nā nihil eſt: nec erit: fuerat nec ī orbe creatū
Quod reor ex omni parte carere malo.
Igne quid vtilius? liquida quid gracius vnda?
Attn̄ hęc nimium ſępe nocere ſolent.
Sępe iuuat miſeros certis medicina ſub horis:
Sępius hęc etiam ſumpta nocere poteſt.

Medium.
Modus.

☞ Eſt igitur virtus medium tenuiſſe probatum
Nanq₃ decet certum rebus adeſſe modum.
Sic nihil eſt: nec erit: fuerat nec in orbe creatū:
Quod reor ex omni parte carere bono.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-127992-p0036-1

Quę plus ſunt atris homini fugienda venenis!
Hæc tamen ęgrotis ſunt medicina viris.
Sic licet Autũnus nocuã ſpirauerit auram:
Attñ hic pariter plurima dona refert.
Cernitur apricis matura in collibus vua:
Plenaqꝫ purpureo turget abunde mero.
Cernitur & grauidis matura Labruſca racemis:
Palmite quę verno tempore tota latet.
Carpuntur tardę fructus creſcentis oliuę.
Carpuntur facili mitia poma manu.
Formaqꝫ ſub croceo florum rubicunda colore:
Cernitur iu Cæris melle ſepulta nouis.
Accumulat tumidas lætus vindemitor vuas:
Vt noua de lacubus vina ſubinde petat.
Nũc pede, depoſitis exp̃ſſa phalerna cothurnis
Spumant in plenis optima dona labris.
Vtqꝫ micent Tyrio gratiſſima vellera rore:
Tondet lanigerum ruſtica turba pecus.
Nec licet agricolas requieſcere, nãqꝫ quotannis
Vertunt fœcundum terue quaterue ſolum.

Seu ſaturare ſolent ſterilem lætamine terram:
Siue ſolent ſtipulas igne mouere leues.
Sic ager occultum poterit reuocare vigorem:
Et dare multiplices fertilitatis opes.
Eſt breuis autumnus modicis elapſus in horis:
Qui modo pręterijt non repetendus erit.

## Hecatoſtichon de hyeme.

Voluitur ægoceros rutili cum ſydere phœbi:
Capricorn9 Proles æquoreę piſcis & hircus aquę.
Et gelidus boreas ſcythicis nũc ſpirat ab oris:
Conuocat & multas humidus orbe niues.
Omnia triſtis hyems ſtringit & frigore replet:
Hæc niue concreto cuncta liquore tegit.
Pellit hamadrijades longe de rure puellas:
Deponit virides arboris vſq; comas.
Non dumeta roſas producunt nuda rubentes:
Floribus inculti non decorantur agri.
In varias terrę fugiunt animalia partes:
Nam metuunt triſtes frigiditate dies.

Aereę volucres properabunt agmine magno:
Et recto fugient ordine/rura/grues.
Garrula ſic celeri motu diſcedit hirundo:
Impatiens hyemis/frigora multa timet.
Flumina nectit hyems radijs inimica caloris:
Et breuiat ſudum longior vmbra diem.
Vitrea fluctiſecas non ſuſtinet vnda carinas:
At natura ſuas prębet in amne vias.
Nauita quã ſecuit remis & puppibus vndam:
Hãc modo brumali tẽpore plauſtra p̄mũt.
Nã glacialis hyems duriſſima frigora ſpargit.
Plurima vel niueo tecta colore tenet.
Vndiq; nunc gelidis tellus inuoluitur vmbris:
Atq; rigent liquidę marmoris inſtar aquę.
Horrida nunc tumidis glomerantur p̄lia vẽtis: Venti.
Qui res multiplici lege ſub axe regunt.
Aduenit occiduo Zephyrus digreſſus ab orbe:
Cui ſubſolanus pręlia ferre ſolet.
Aut furit arctoi veniens ſeptentrio mundi:
Quem boream danai conſtituere patres.

Vel ſubit aduerſo ſtrepitu contrarius Auſter:
Obuiat & recto limite ſigna locat.
Aphricus aut aquilo/vulturnus/circius/Eurus:
Libs/in veliuolas flat quoq; Corus aquas.
Sed quia puniceo phœbus tranſcendit amictu
Altius/ac alium tendit adire locum.
Sydere quē phœbū Capcorn9 aquoſ9 habebat:
Et ſibi monſtrifico corpore iunctus erat.
Aquarius. Hūc puer hydrochous magni Iouis alite rapt9
Concomitatur aquis vrniger ille ſuis.
Non minus hybernis caneſcit operta pruinis:
Tellus/hymbriferas frigore ſtrigit aquas.
Flatibus incertis tumidi cum turbine venti:
Omnia perturbant ſollicitantq; ſoli.
Acris hyems ſterilē & vacuā remorat harenā:
Non ſinit optati creſcere dona cibi.
Agricola hic boreæ metuēs penetrabile frigus:
Terrę/ſuſpenſo vomere/ceſſat opus.
Non tamen in tepida torpore reſoluit vmbra:
Deſidiam vigilans blanditiaſq; fugit.

Nā ſolet aut auibus laqueos/vel retia ceruis
Tendere/ quę multis ſunt metuenda feris.
Aut ſequitur lepores auritos/ſiue feroces
Vrſos cū rigida cuſpide/ſiue lupos.
Per ſua viuaces terret venabula ceruas:
Seu ferro ſęuos figere tendit apros.
Seu piſces fluuijs hamo deducit adunco:
Cum glaciem gelidis ſentit abeſſe vadis.
Denatos quoniam tellus ob frigora raſtros
Non patitur/pigros nec iuga curua boues.
Eſt genialis hyems cupidis ignaua colonis:
Bruma dabit glaciem bruma dabitq; niuē.
☞ Bruma cupit riſus/conuiuia mutua/luſus.
Bruma cupit largum/pauca falerna/cibū.
Taliter æſtiuos brumali tempore partus:
Ruſticus arbitrio verſat agitq; ſuo.
Hic metuens gelido ſaturni corpore ſtellam:
Obſeruat menſes cunctaq; ſigna poli.
Quas nitido parteis habeat Cyllenius orbe?
Quem pariter teneat Iuppiter ipſe locum?

Aut vbi crudelis remorentur ſydera Martis?
Vel ſydus Veneris? pectora cuncta mouẽs?
Quem titan faciat radijs fulgentibus ortum?
Omnia qui clara/ſydera/luce regit.
Quod ſibi conſtituet cœli vaga cynthia ſignũ:
Nam variat celeres/aurea luna/dies.

Prognoſtica lunę.

Luna ſub obſcuro variat mox aera vultu:
Inditio pluuias fuſca parabit aquas.
Si vaga purpureo fuerit perfuſa rubore:
Maximus in pelago turbine ventus erit.
Candida ſi pleno conſurgit in ęthere cornu:
Non patitur madidos aura ſerẽna dies.

Solis ꝓgnoſtica.

Signa refert pariter phœbus variatus in ortu:
Nubibus/aut medio candidus orbe latens?
Ceruleos titan diffundens orbe colores:
Nunciat ætherei nubila denſa poli.
Cũcta ſimul ventis nymbiſq; repleta ſequũtur:
Igneus at Zephyros concitat atq; notos.
Lucidus æquoreis quando ſol occidit vndis:
Haud dubiũ eſt veniẽs lucifer almus erit.

Non tamen hęc ſolis ſunt obſeruanda colonis:

Sed fuerint cunctis ſigna notanda viris:

Signa notanda viris nitidus ſol æthera curru

Omnia perluſtrat: tempus & omne regit:

Iam ſequit̃ geminos piſces (duo ſigna) ſub vno Piſces.

Frigoribuſq; ſuis Cana ſeneſcit hyems.

Taliter emenſi pręſcribitur vltimus anni

Terminus/ inde nouos incipit ordo dies.

FINIS.

Diſtichon de partibus anni/

Collige Vere roſas/ meſſeis tibi ꝓcreat Aeſtas:
Poma dat Autumnus/ quę ſpoliabit Hyēs.

DISTICHON Memorabile.

Omnia tempus habet: varijs ſucceſſibus hærēs:
Credite pręcipiti tempore cuncta ruunt.

AEMVLATIO VERGILIANA.

Phœb⁹/ triptolem⁹/ bacch⁹/ iuuat/ occupat/ vrget
Vates/ rus: curas/ carmine/ fruge/ mero.

Carmē reciprocū & Sodaticū de Deo.

Hic regit imperio populos rex ordine cunctos
Numine cognoſcens & pater & deus eſt.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-127992-p0043-9

## AD PALLADIS. amatores.

Quȩ ſit in hoc noſtro nunc cura ſupma libello:
Hijs volui breuibus cõmemoraſſe notis.
Opto placere meos tibi/culta caterua/labores.
Non volo iuditium/ruſtica turba/tuum.

## IN ZOILOS.

Liuida quid rabido conaris turba veneno?
Primicias ſtudij commaculare mei?
Deſine te moneo/noſtras lacerare camœnas:
Nam tua nil nobis verba canina nocent.
Non precor vt tribuas noſtris prȩconia laudis
Carminibus/rabiem comprime quȩſo tuã.

# AD CANDIDVM LECTOREM.

Si quid forte minus elimatū ſtudioſe lector in
hoc libello repies/ne ignorantię ſed potius fra
gilitati humane aſcribes/te plurimū oro. Nā cū
natura nō linceos dederit nobis oculos: vt omīa
adamuſſim perpendere poſſimus/facile in erro
res(qui quaſi ſua ſponte ſe offerunt)incidere ſo
lemus. Quare tuę erit bñuolentie/vbi opus erit
errata caſtigare. Decreueram enī limā quādam
ſubnectere & tumultuarias mendas in fine an/
notare. Sed quia ea facultas mihi nō eſt relicta
ob temporis penuriā. Reliquimus ergo tuo iu/
ditio/vt quę ſuperflua ſunt expungantur. Quæ
vero deeſſe videbuntur liberę addantur. Vale.

Ad fœlicem hæc deducta ſunt finem/Arte & in
duſtria ingenioſi Calcographi Ioannis
Hanaw. ciuis Francfordenſis.
Pridie Nonas Aprilis.
Anno dñi ſupra
ſeſquimille
ſimū de/
cioqui
to.



ur doceremi doce
q̄ pfecto utinā do
es vel fuiſſes eſſet
cti eſſem⁹ vl' fuiſſe
eſſent vel fuiſſent
ocearis vel docea
doceamur docea
tiuo mō tp̄e p̄ñti
oceare doceatur.
eamini doceant.
doceretis vel do/
ceremur docere/
to cū doctus ſim
it vel fuerit. ꝛplr̄
⁹ ſitis vel fueritis
q̄ pfecto cū doct⁹
fuiſſes eſſet vl' fu
vl' fuiſſemus eſſe
fuiſſent. Futuro

rere legeret ꝛplr̄ cū legeremur legeremini
legerent Preterito pfecto cū lectus ſim vl'
fuerim ſis vl' fueris ſit vl' fuerit. ꝛplr̄ cum
lecti ſim⁹ vel fuerim⁹ ſitis vel fueritis ſint
vel fuerint. Ptō pluſq̄pfecto cū lectus eſ
ſem vl' fuiſſem eſſes vl' fuiſſes eſſet vl' fuiſ/
ſet. ꝛplr̄ cū lecti eſſemus vl' fuiſſemus eſſe
tis vel fuiſſetis eſſent vel fuiſſent. Futuro
cū lectus ero vl' fuero eris vl' fueris erit vl'
fuerit. ꝛplr̄ cū lecti erim⁹ vel fuerimus eri
tis vl' fueritis erint vl' fuerint Infinitiuo
mō ſine nūeris ꝛ pſonis tp̄e p̄ñti ꝛ ptō im
pfecto legi. Preterito pfctō ꝛ pluſq̄pfctō
lectum eſſe vel fuiſſe. Futuro lectum iri.
Duo participia trahūtur ab hoc verbo
paſſiuo. preteritū ꝛ futurum. preteritum
vt lectus. futurum vt legendus.
Audio audis audit. ꝛplr̄ audimus

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-127992-p0048-8

# GEORGII CREBICII CROELLIANI

liberalium diſciplinarum in gymnaſio Francfordiano profeſſoris.

## FASTORVM LIBER.

## EIVSDEM.

Quattuor de Anni temporibus.

## HECATOSTICHA.

## RICHARDVS SBRVLIVS FOROIVlianus Eques: poeta & orator celeberrimus.

Ad Iuuentutem.

Quis cantat lacio Germanus tempora verſu?
Aemulus ingenij, Naſo poeta, tui?
Crebicius ſi non eſt ille Georgius? Ecquis
Hicc erit? illius carmina culta probo.
Illa velim Cirrata tibi placuiſſe Iuuentus
Inuidia pulſa perlege: grata putes.

Farbkarte #13 B.I.G.
Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-127992-p0049-6